

**Dissertatio inauguralis medica de erroribus circa venena vulgaribus ... /
[Joachim Sigmund Girschner].**

Contributors

Girschner, Joachim Sigmund.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Christoph. Andreae Zeitleri, [1718]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aak7uzrj>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

**ERRORIBUS
CIRCA VENENA
VULGARIBUS,**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO CAROLO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDEN-
BURGICO, CETERA,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h. r. DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE ac PROMOTORE SUO,
pia & nunquam intermoritura veneratione colendo,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE SALUTARI HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA RITE IMPETRANDI,

Publico Eruditorum examini submittit

JOACHIMUS SIGISMUNDUS GIRSCHNERUS,
Benstorffiensis - Magdeburg.

D. Maj. MDCCXVIII. Horis ante & pomeridianis.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

DE REPTA THE ANATOMICAL MEDICA

ERRATA

ERRATA

ERRATA

ERRATA

ERRATA

ERRATA

ERRATA

ERRATA



DISSERTATIO SOLENNIS
DE
ERRORIBUS CIRCA VENE-
NA VULGARIBUS.

PRO OEMIUM.



S ulla materia in universo artis nostræ ambitu digna est, quæ alta indagine & accuratiori scrutinio evolvatur, certe eam esse existimamus, quæ venenorum naturam ac proprietates perquisitius investigat, eorumque vires exitiosas & modum agendi rationali modo explicat, & vulgares, qui circa hoc argumentum foventur, errores fideliter detegit. Est venenorum ingens ac celerrima in animantium corpora vis ac potentia, vitales eorum motus insigniter labefactandi, vel penitus destruendi. Qui igitur nocentissimos eorum effectus rite scit enodare, & , quo modo vel cujus elementi ope perficiantur, luculenter exponere, illi in gravissimorum morborum causis, & truculentis symptomatibus recte explicandis non adeo multum laborandum erit. Neque ulla doctrina nobis aptior videtur ad mechanicam patho-

pathologiæ tractationem cum asserendam tum illustrandam, quam quæ, cujuscunque generis sint, venenorum naturam, peculiare operationes & cuius dicata vel quasi specifica remedia, explanat. Exinde enim clarissime patet, qua ratione minima materiæ moles totam motuum vitalium oeconomiam pervertere, & quomodo certum remedium sola texturæ immutatione hanc nocendi potentiam infringere vel prorsus amoliri possit. Et qui præcipites ac subitaneos venenorum effectus scite & intelligenter explicare potest, illi citra omne dubium aliarum quoque nocentium causarum, quæ venenis activitate longe inferiores sunt, omniumque ex iis dependentium effectuum ac symptomatum perfacilis & expedita erit enodatio. Quamvis autem præter hoc, quod circa venena versatur, argumentum, nihil in universa re medica inveniatur, quod latius pateat, vel cum majori utilitate conjunctum sit; illud ipsum tamen hucusque minus digne à medicis excussum ac pertractatum esse, ipsa res loquitur. Siquidem non modo vulgus fabulosas de venenis opiniones fovet, sed ipsi etiam medici ac physici miris circa hanc rem præjudiciis laborant, & perversa subinde judicia de venenis proferunt, dum quædam pro venenis habent, quæ ab eorum natura prorsus aliena sunt, alia vero, venenis jure ac merito accensenda, ex eorum numero excludunt. Taceo, quod nec modum eorum agendi, neque eorum proprietates ac characteres cognitos & exploratos habeant. Quibus causis permoti non incongruum, sed maxime opportunum duximus, loco speciminis inauguralis nobilissimam hanc de venenis materiam, ea, qua fieri poterit, brevi-

brevitate ventilare, & communes circa illa hallucinationes publico conspectui exponere. Deus autem favore suo huic labori adspiret, nostrisque conatibus ex alto benedicat.

§. I.

Vemadmodum vero omnis solida, quæ de re explicanda instituitur, investigatio à vera ac reali ejus definitione suum capere debet exordium: ita etiam scopo nostro valde accommodatum videtur, breviter indigitare, quid per tò venenum intellectum velimus, ne commoda neglecta explicatione variis confusionibus, à quibus omnium errorum origo promanare solet, causam & occasionem subministremus. Per venenum itaque talem intelligimus materiam, quæ summa partium suarum tenuitate & activitate interne vel externe animalium corporibus admota, celeriter & exigua in quantitate univèrsum genus nervosum adficiendo, vel magnam perniciem vel ipsam mortem infert. Tres autem características quasi proprietates, quibus venena ab aliis nocentibus causis discriminantur, constituimus. Prima est summa partium tenuitas atque activitas, ita, ut minima mole operationem suam exequantur; altera, quod intus vel externe corpori admota celeriter noceant vel prorsus jugulent; tertia, quod maxime genus nervosum aggrediantur, & ob mutuam partium consensum in univèrso corpore gravissimas læsiones & truculenta symptomata producant.

§. II.

Præmissis hisce venenorum proprietatibus & no-

tis essentialibus, jam facillimum est judicare, venena multis intervallis distincta esse ab aliis rebus corporeis, quæ nocendi & intra exiguum tempus occidendi facultate pollent. Notum est, quam quod notissimum, aquam frigidam intra corpus calore ac sudore perfusum copiosius assumptam tam insignem inferre noxam ut celeriter vitam extinguere possit, quia nempe frigus sanguinem coagulando ejus circulum per ventris viscera penitus sistit. Notissimum quoque est, fumo sulphuris accensi omnium animantium genera facile extingui. Sed quia hujus actio non in nervorum genus est, sed in aerem, quam ad respirationem inutilem reddit, hinc venenum dici nequit. Testis etiam est experientia, quod spiritus minerales acidi, ut aqua fortis, spiritus nitri, spiritus & oleum vitrioli, spiritus salis paulo majori in copia hausti, erodendo ventriculi & intestinorum tunicas, insanabiles læsiones, imo ipsam mortem inferre queant. Sed quia hæc non adeo singulari partium tenuitate, nec tam exigua mole, neque etiam celerrime suam exerunt efficaciam, non immerito illa ex venenorum consortio relegamus.

§. III.

Præter hæc autem plura adhuc alia in omnibus naturæ regnis obvia sunt, quæ non mediocri, sed maxima nocendi & interficiendi facultate instructa sunt. Hæc tamen ad venenorum classem proprie non pertinent, licet à veteribus, exquisitori venenorum cognitione destitutis, in horum censum relata fuerint. Ex regno enim minerali calx viva, majori in copia assumpta, omniaque fere præparata ex saturno, ut cerussa, lithargyrium, minium, ex venere, crocus veneris, viri-

de æris, vitriolum venereum, & hujus mineræ mify, fory, chalcytis, propter vim corrodentem, septicam vel nimis constringentem animantium corporibus, eorumque partibus solidis valde infensa sunt, quippe quæ gravissimas ac lethiferas læsiones excitare possunt. Et quis in rebus medicis leviter saltem versatus ignorat, à solis topicis in scabie, podagra, variolis ac morbilis perperam & inconsiderate adhibitis, vel interne ab intempestivo sudorifero & acri alexipharmaco aut purgante lethalia symptomata produci posse; quæ tamen remediorum genera, alias per se satis tuta, venenorum numero minime adscribi debent. Veteres lac in ventriculo coagulatum & sanguinem taurinum potum vera venena pronunciare non dubitarunt, quam tamen appellationem, licet corpori vim & noxam inferant, ob rudiores, qua constant & agunt, moles, nequaquam merentur. Denique nullum cum venenis commercium habent ea corpora, quæ crasso quodam, ut ita loquar, mechanismo corpori animantium exitiosam calamitatem afferre possunt, ut sunt aciculæ vel aliæ res acuto cuspide gaudentes deglutitæ, à quibus atrociam & mortifera symptomata excitata fuisse, cum Hildano plures iique gravissimi rerum medicarum scriptores memoriæ prodiderunt. Ejusmodi venenum mechanicum conflatum ex orichalci tenuissimis lamellis, vulgo *Glitter-Gold* / discissis & cum liquore aliquo assumptum, ut referunt *Miscell. Nat. Cur. Decur. III. ann. 1. pag. 83.* fatalem diem acceleravit.

§. IV.

At enim ipsa res & instituti nostri ratio poscere videtur, ut brevem quasi nomenclatorem eorum, quæ proprie

proprie & κατ' ἐξοχήν venena & quæ non appellari debeant, exhibeamus, quo deinde melius in eorum principia & modum agendi atque antidota inquirere possumus. Quemadmodum vero universa rerum natura, solenni in scholis more, in tria regna dispescitur, quorum primum animantia, alterum vegetabilia, tertium mineralia seu subterranea complectitur: ita etiam hunc ipsum ordinem in recensendis & examinandis virulentis corporibus observare nobis consultum videtur. Et primo quidem quod regnum animale attinet, nullum in hoc dari venenum, præter putredinem & morsus animantium ira percitorum, confidenter asseveramus. Nullum enim ex animantium, vel insectorum familia nobis cognitum est, quod in substantia, vel in pulvere vel in liquore exhibitum, enecet, vel omnes supra recensitos characteres possideat. Equidem non inficias imus, plurima insectorum sal quoddam acre causticum, quod exterius applicatum vesicas excitat, intus vero sumtum vias urinarias potenter stimulat, fovere, & improvide adhibita maximum afferre posse nocumentum. Cujus generis sunt aranæ, bufones, scorpiones, cantharides, millepedes ac vermes majales. Sed tamen ex fide dignis historiis, vel certa experientia neutiquam probari poterit, ab horum vel externo vel interno usu in sanis beneque valentibus corporibus mortem fuisse productam. Quam ob rem etiam ea, quæ de venenosa sanguinis menstrui qualitate & quod ex eo philtrea veneni naturam æmulantia parari possint, vulgo proferuntur, pro mere fabulosis commentis agnoscimus. Neque facile adduci me patior, ut fidem habeam efficaciam magni & famosi istius veneni,

veneni, cujus mentionem facit *Ammannus in Irenico pag. 209.* quod Madame de Voissin suggestu diaboli præparasse fertur ex abortibus, partu abactò, fœtuque occiso meretricum in cineres redactò, qui cinis veneni vel cito vel tardius necantis naturam pro lubitu exhibentis induebat. Illud vero infallibili experientiæ fide, ab antiquissimis autoribus confirmata, constat, quod morsus & ictus insectorum, præsertim in terris calidioribus, ut phalangum, tarantularum, scorpionum, viperarum, brevi tempore sanos ac validos homines in subitanam mortem præcipitare, & universam nervorum compagem violenter convellendo gravissima symptomata producere possint.

§. V.

Non possumus autem, quin hoc loco vulgarem fere errorem, qui etiam nonnullorum medicorum animis insidet, commemoremus. Multi in ea sunt opinione, morsum serpentum, quos nostræ regiones alunt, esse venenosum, & homines celeriter interficere; de cujus rei veritate non sine gravi ratione penitus dubitamus. Primo enim inter viperas ac serpentes magna intercedit differentia: illæ ex utero vivæ prodeunt, & hinc viperæ quasi viviparæ dicuntur; hi vero ovis sole vel fimo fœcundatis excluduntur. Accedit, quod viperæ dentibus instructæ sint, quibus ira affectæ, in regionibus præsertim calidioribus, sæpe lethales morsus hominibus imprimunt. Serpentes vero non dentati sunt, nec uspiam lethalis ab iis effectus annotatur. Præterea etiam serpentes magnitudine viperas longissime exuperant. Vanæ igitur & inanes sunt quorundam præstigiatorum de suis antidotis

contra serpentum morsus jactationes, quibus suam theriacam & mithridatium aliaque præsentissimæ adversus serpentum morsus efficaciam remedia extollunt, ut sub credulitatis patrocínio plebem pecunia fraudulenter emungant. Atque eandem ob causam explodendum est illud remedium, quod ceu certissimum adversus venenatos serpentum morsus præservatorium commemorat *Valvassor in Descriptione Carniolie, Tom. I. Lib. III. pag. 360.* dum nempe ejus regionis incolæ ex serpente vivo summo mane cor eximunt, & calide in aqua frigida devorant. Ejusdem valoris est illud, quod vulgo Italis imputatur, atramentum viperarum sanguine infectum, cui tantam nocendi vim tribuunt, ut si quis literas virulento hoc atramento scriptas legat, statim sensu ac ratione privetur, breviq; post animam expiret. Nam si tanta huic veneno inest penetrantia, nescio sane, quomodo sine noxa præparari possit. Sed quis ejusmodi commentis inhæreat, quorum plerique libri pleni sunt.

§. VI.

Neque vero tantum insectorum, sed grandiorum quoque animalium, ut canum, vulpium, luporum, imo hominum ira percitorum morsus veneni perfecti naturam præ se ferunt, & nocentissimam ac necantem vim exhibent, id quod extra omnem dubitationem positum est. Nec immerito miasmata, sive exhalationes subtilissimæ indolis, in peste infectis, vel morbis ex penetrante putredine in sanguine & lymphâ subortis, ex venenorum classe repudianda sunt, quarum nociva & mortifera vis satis superque per se nota ac manifesta est. Sed quoniam hæc animantium venena
non

non in arbitrio & potestate hominum posita sunt, ut pro lubitu iis uti vel abuti possint, ideo illis relictis nostrum sermonem ac meditationem potissimum de iis venenis instituemus, quæ in hominum potestate sunt, & quibus alter alteri noxam inferre potest.

§. VII.

Reliqua igitur sunt duo naturæ regna, vegetabile nimirum & minerale, ex quibus ejusmodi venena, circa quæ nostra occupata erit tractatio, depromenda sunt. Quemadmodum vero venena merito in nativa & artificialia dividi ac diduci debent, ita animadvertimus, in vegetabili plus nativa, in minerali vero plus arte facta existere. Et quoniam veteribus ob artis chymicæ ruditatem non adeo cognita fuerunt illa mineralia, ex quibus venena nostris temporibus parantur, hinc veterum venena tantum ex regno vegetabili desumpta fuisse observamus. Quæ vero de mineralibus eorumque venenis veteres scripserunt, ea magis ad rerum noxiarum classem spectant, quam ut juste venenorum numero associari possint. Si enim antiquissimorum Græcorum monumenta consulimus, vix alia venenorum genera, quibus solenni more vel sibi vel aliis mortem inferendi usi fuerunt, invenimus, quam cicutam, cuius succus leni insolatione inspissatus publice in pœnam Athenis olim adservabatur. Post cicutam napellum sive aconitum, ob virulentam suam vim, cetera fere omnia longissime superat, cujus rei documentum funestæ hinc inde annotatæ historiæ perhibent. Hæc duo admodum virulentæ indolis simplicia præcipue in terris calidioribus, ubi à solis æstu penetrantior, quam nostris in regionibus, naturam indu-

induunt. Commodissime etiam hæc duo venena inficiis hominibus propinari potuerunt, quia obtusa & particulis terrestribus involuta acredine linguam non adeo multum feriunt.

§. VIII.

Sunt alia adhuc, quæ ex terra nascuntur, deleteriæ vehementiæ non expertia, quæ tamen non tam exili, sed potius majori in dosi exhibita lethales sæpe effectus produxerunt. Sunt nempe certæ fungorum species, qui venenato acri caustico succo scatentes, inter edulia assumti & antiquis & nostris temporibus funesta virulentia suæ exempla ediderunt, nisi mature sumto emetico ex ventriculi sinu rejecti fuerint. Extant præter hæc in regno vegetabili plura, quæ licet communiter à medicis inter venena non referantur, revera tamen iis annumerari debent. Et hæc sunt drastica illa, acria & vehementiora purgantia, ut colocynthis, helleborus albus, elaterium, grana tilli, femina cataputiæ, esulæ, sive tithymali species, quæ quamvis gradu quodammodo à validioribus venenis differant, omnibus tamen istis characteribus ac proprietatibus, quibus venenorum essentia continetur, instructa sunt. Denique vegetabile regnum quædam adhuc alia nocentissima & virulenta qualitate imbuta profert, ut sunt hyosciami, stramonii & solani species, quæ vitales motus, narcosin & stupiditatem inducendo destruere solent.

§. IX.

In regno minerali nativa venena perquam pauca nobis cognita sunt. Antimonium quidem, crudum, sive stibium veteres venenis adscribere non dubitarunt, quod tamen, experientia teste, insigni potius medi-

medicamentosa, quam venenata virtute gaudet. Tutissime enim animantibus, ut suibus, equis exhibetur, & ad sanguinem depurandum, ad morbos, qui ab impuritate humorum proveniunt, arcendos, nec non ad pinguefacienda animalia cum fructu usurpari potest. Præterea in forma sicca vel in liquida, sive in decocto multis ægrotantibus in lue venerea, scabie, phthisi, lepra & atrophia plurimum affert adjumenti. Eadem ratione argentum vivum sive hydrargyrum semper ab antiquitate pro veneno habitum fuit, cui tamen sententiæ, præsertim quod usum ejus internum attinet, quotidiana experientia adversatur. Quem enim fugiat, hoc ipsum ad libram vel ultra cum oleo amygdalarum dulcium atrocissima iliaca passione laborantibus non sine felici successu propinari, ubi pondere suo firmiter occlusas feces in herniis incarceratis vel in intestinis complicatis colliquando liberum iter illis restituit. Et quod hoc minerale diutius in corpore retentum parum damni inferat, id nobis ante aliquot annos perspectum fuit, quum scemina honesta ultra dimidiam hydrargyri libram, in hernia inguinali datam, successive mensis demum spatio alvo excerneret, & nihil inde mali præter manuum tremorem experiretur. Licet vero hæc duo mineralia antimonium & hydrargyrum, per se & in sua natura satis innocentia sint, chymica tamen arte per ignem aliisque adjectis in fortissima venena, ut videmus in antimonii vitro, regulo & mercurio sublimato, converti possunt.

§. X.

Alia jam incidit quæstio de auripigmento, quod etiam nativum est, num illud inter vera venena locum habe-

habere debeat. Veteres, teste *Celfo*, *L. V. c. V. p. 260.* illud arsenicum vocarunt, & *Galenus Lib. IX. Simplic.* illi erodentem & psilothram facultatem tribuit, quod *Dioscorides* etiam *Lib. VI. cap. 28.* confirmat; ipse quoque *Celfus l.c.* inter externa, quæ vulnera purgant, erodunt, & crustas inducunt, illud reponit. Quamvis vero antiquiores physici ac medici paulo mitius de ejus virulencia interna senserint, qui alias faciles erant, in amplificando venenorum numero; a recentioribus tamen non sine admiratione conspiciamus auripigmentum arsenicum citrinum, & sandaracam arsenicum rubrum vocari & venenorum numero accenseri, ita ut celeberrimorum medicorum collegia in responsis suis hoc ipsum asserere non dubitaverint. Ita extat responsum celeberrimi collegii medici in *Valentini pandectis pag. 384.* in quo auripigmentum arsenicum citrinum vocatur, & solenniter pro veneno declaratur. Idem factum ab eodem collegio fuisse in responso, quod in *Zittmanni Medicina Forensi Cent. 1. casu 62.* continetur, observamus. Ita etiam *Cl. Ammannus in Medicina Critica casu 98.* auripigmentum sandaracam vocat, & pro veneno à medico collegio habitum fuit. Neque ita pridem etiam à collegio celeberrimi alius academiæ auripigmentum arsenicum citrinum nativum fossile in responso vocatum, & venenum minerale corrosivum, quod causa proxima mortis fuerit, pronunciatum fuit.

§. XI.

At vero re accuratius pensitata, libere hic & aperte, pace tamen omnium & sine ullius injuria profite-mur, auripigmentum nullo modo inter venena locum mereri, neque recte arsenicum citrinum vocari posse,
id

id quod etiam de veterum sandaraca valet, cujus eadem vis est, *Celfo l. c.* teste, cum arsenico, quæ ex auripigmento sola fusione per ignem in olla obturata, recte id notantibus *Plinio, Agricola, Matthiolo, & Wormio*, præparata fuit, qua saturatiorem rubrum colorem acquirit. Equidem non negandum, à veteribus auripigmentum arsenicum, & sandaracam realgar & arsenicum rubrum dicta fuisse, toto tamen cælo hæc veterum arsenica differunt à tribus speciebus arsenici, flavi, rubri & albi, quæ nostro jam tempore præparantur, & vehementissima venena sunt, utpote quæ omnis generis animantia, & ipsos quoque homines tam celeritate quam ingenti symptomatum atrocitate brevi tempore interimunt. Jam vero observamus inter auripigmentum & arsenicum citrinum, interq; sandaracam & arsenicum rubrum à recentioribus magnam factam esse confusionem, quum hæc pro synonymis habuerint. Cujus magni erroris occasio procul omni dubio inde mihi enata videtur, quod plures ex scriptoribus medicis superioris seculi, ut *Georgius Agricola in libro de re metallica, Mathiolus in Commentario in Dioscoridem Lib. 5. cap. 81. Schræderus in Pharmacopœa pag. 498. Olaus Wormius in Museo pag. 29.* ex recentioribus *Wepferus in Libro de cicuta aquatica pag. 290. & D. Barckhusen in Chymia p. 260.* aperte & confidenter asserunt, summum illud venenum arsenicum crySTALLINUM ex auripigmento & sale communi invicem aliquoties sublimatis parari, quod tamen à veritate longissime abest. Et quoniam *Georgius Agricola, Misniæ incola*, qui suo tempore sagacissimus rerum naturalium scrutator æstimabatur, in opere suo hoc primum affirmavit, exteri huic fidem habentes errorem

rorem ab eo acceptum posteris per manus quasi tradiderunt. Veteres enim arsenicorum illæ venenatæ tres species plane latebant, quæ non ultra duo secula orbi innotuerunt. Neque etiam plures ex recentioribus auripigmenti & sandaracæ veterum, arsenicalium venenorum nostri temporis naturam, originem, vires cognitæ prospectasque habuisse videntur.

§. XII.

Ut vero arsenicorum illorum, quæ veteribus nota fuerunt, & quæ demum nostris temporibus inclaruerunt, ingens differentia omnibus constet, singulorum proprietates breviter strictimque enarrare commodum nobis visum fuit, eo quod res non parvi momenti sit hanc confusionem evitare, quia salus sæpe ac vita hominum ex ea periclitatur. Auripigmentum est minerale aurei coloris, sulphureum, ex tenuibus crustis, tanquam squamis, instar lapidis specularis fissilibus, compositum, quod in Græcia, Mysia nempe Hellepontis, ex montibus eruitur & ad nos advehitur, & tempore *Galenii* ac *Dioscoridis* jam cognitum fuit. Hoc in pulverem redactum & flammæ admotum fluit, accenditur & flammam emittit, cum fumo albo, subflavo, qui cultrum superpositum albo luteo & subrubro colore, pulchro spectaculo, obducit, relictis in fundo arenosis & lapidosis particulis: fumus odorem habet foetidi sulphuris. Idem auripigmentum in cucurbita vitrea vehementiori igne liquatum massam dat instar cinnabaris rubicundam, in superficie instar rubini splendentem; quam veteres sandaracam appellaverunt. Arsenicum vero album, flavum & rubrum nostrum est factitium & patriam habet Misniam, ubi tantummodo,

do,

do, inque nullis aliis terris, idque in pago **Ehren-Friedrichsdorff**/ conficitur ex minera, grysei coloris, quæ vocatur cobaltum, germ. **Fliegen-Pulver**/ quia muscas hujus pulvere enecare solent. Processus autem sequentem in modum se habet. Miscetur cobaltum cum calcinatis silicibus & cineribus clavellatis, qui invicem fortissimo igne in vitrum saturati cærulei coloris transeunt, quod in minimum pollinem redactum dicitur smaltum, germanice **die blaue Farbe** /cujus ingens quantitas quotannis in exteras regiones transmittitur. In præparatione hujus vitri copiosiores fumi albi seu potius flores in sublime feruntur, qui fornacis parietibus appositi & collecti pulverem præbent album, qui vocatur **Gifft-oder Arsenical-Mehl**/ qui fortissimo igne in crucibulo tecto liquatus in massam ponderosam albam duram compactam vitream fatiscit. Et hæc est arsenicum illud album crystallinum, summum illud venenum, compluribus funestis exemplis infamatum. Quando vero ad partes decem pulveris prioris albi una additur sulphuris vulgaris, & simili fusione tractatur, tunc arsenicum prodit citrinum. Si vero duæ partes sulphuris cum decem partibus pulveris albi miscentur, igne fusionis rubicunda massa emergit, quæ nomine arsenici rubri venit. Et hæc tres species arsenici veteribus plane incognitæ fuerunt, quæ ratione virulentia gradu tantum differunt. Unum ex illis cochleari vel tigillo inditum & igni impositum totum evanescit, ut nec in fundo vestigium ejus superfit. Album densissimum fumum spargit, & laminam ferream floribus albis densis obducit, nunquam vero flammam concipit, qualem exiguam dat arsenicum rubrum

brum propter sulphur admixtum; fumi etiam non penitus albi, sed leviter colorati exurgunt, odorem vero spargunt alliaceum foetidissimum, totum conclave occupantem. Unum quoque ex hisce speciebus in retorta vel cucurbita vitrea vehementia ignis tractatum totum in altum sublimatur, neque quicquam in fundo relinquit.

§. XIII.

Quod ad usum auripigmenti attinet, eo utuntur pictores ad aureum colorem exhibendum, ut & mechanici ad plumbum colliquandum in globulos duros, vulgo *Schroot* / neque à materialistis pro veneno habetur, hinc etiam cuivis petenti venditur. Arsenico vero crySTALLINO ad pelluciditatem vitris conciliandam à vitriariis, ad porcellanam albo vitro obducendam, pariter & ab aurifabris ad metalla vitro subtiliori obducenda, vulgo *amaliren* / usurpatur. Flavovero & rubro identidem pictores utuntur ad flavum colorem exprimendum. Quod vero usum internum & vires auripigmenti attinet, nullum prostat luculentum & clarum exemplum in medicorum cum veterum tum recentiorum monumentis, quod funesta symptomata, vel mortem intulerit. Sed potius *Dioscorides Libro V. cap. 22.* ejus usum interne contra inveteratam tussim & empyema cum mulso suadet, & *Avicenna Lib. III. tradition. 1. pag. 262.* hæc prodidit: *Ex medicinis fortibus est arsenicum, [per quod indigitat auripigmentum,] ex quo cum gummi pini fiant pilule ad asthma, aut detur in potu cum aqua mellis.* Ejus suffitum in lue gallica insigniter laudat *Fallopium cap. 72. de Morbo Gallico.* Denique auripigmentum caret sapore acri, neque cuti ad-

motum

motum septicam & psilothram vim exerit, nisi calx viva admixta fuerit, quod per experientiam constat. Caret quoque omni drastica purgante vel emetica virtute, multo minus vero animantium vitam destruit, quod frequentī experimento compertum habemus, dum illud non tantum ad drachmam, sed etiam ad unciam semis pro dosi canibus & felibus sine omni noxa obtulimus, in quibus etiam postero die sectis nulla intra primas vias mutatio conspecta fuit. Neque multum sandaraca ab auripigmenti viribus distat. Fecimus experimentum & in vitro clauso auripigmentum fortiori igne colliquavimus in massam, quæ partim granati, partim cinnabaris colorem referebat, cuius scrupulos duos cani devorandos dedimus, qui tamen nihil incommodi inde expertus est. Quia vero in præparatione hujus rubri corporis flores crocei coloris in cucurbitulæ superiorem partem simul elevati fuerunt, experimentum etiam cum illis instituimus, & scrupulum unum eidem cani dedimus, à quibus enormes vomitiones sequutæ, sed ipse canis postea bene valuit & comedit. Ex quibus liquidissime apparet, auripigmentum esse minerale sulphureum & in se crudum innoxium, sub hujus sulphuris vero involucrio alias adhuc minus benignæ indolis, mercurialis forsitan naturæ, delitescere particulas, quemadmodum id quoque deprehendimus in antimonio, quod crudum plane innoxium est, cuius tamen flores igne elevati, albi & rubri, drastice & emeticæ virtutis non sunt expertes.

§. XIV.

Quia vero *Georgius Agricola* & alii cum illo constanter

stanter asseverarunt, auripigmentum cum æquali salis communis portione sublimatum transire in arsenicum album virulentum, hoc etiam experimentum examinare non recusavimus. Miscelam itaque salis communis cum auripigmento æqualem retortæ vitreæ indidimus, & vehementissimo suppressorio igne subjecto obtinuimus primo phlegma acidulum, deinde flores flavos instar croci in retortæ collo collectos, tum facto intensiori ignis gradu rubicundam instar rubini coeuntem pellucidam massam, remanente loco capitis mortui sale communi cum particulis terrestrioribus auripigmenti mixto, quod sublimatum ad scrupulum canibus sine noxa obtulimus. Hinc permotus Dn. D. Gumprecht, ipse ad grana sex sumsit & aliis quoque dedit atque observavit, quod fortem semper sudorem provocaverint.

§. XV.

Ex quibus jam dictis luculenter apparere arbitror, longissime ratione virium auripigmentum ab arsenico nostro distare, & ob id nullo modo à medicis hæc invicem esse confundenda. Quis enim ignorat, quam funesta & lethalia brevi tempore omni animantium generi tres hæc arsenici species, maxime vero album, vulgo *Ratten-Pulver* / symptomata inferant & quam commode homines, quia omnis acrimoniæ expertes sunt, ab iis interficiantur, tot tristissimis exemplis ac historiis passim in libris & responsis medicorum annotatis id confirmantibus. Quæ de causa etiam triplex hoc arsenicum à pharmacopœis & materialistis seorsim in scriniis servatur, neque omnibus nisi notissimis venditur.

§. XVI

§. XVI.

Recensuimus jam ex triplici naturæ regno ea simplicia nativa æque ac factitia, quibus deleteria & necandi vis inest, ubi illud notandum occurrit, quod nostris temporibus ad veneficia nullum fere aliud, præterquam arsenicum illud factitium, in usum trahatur. Napelli enim & cicutæ vires pluribus ignotæ sunt. Mercurius vero sublimatus, licet unum ex vehementissimis venenum sit, ob causticam tamen acrimoniam, quæ mox in lingua & ore se prodit, ad veneficia perpetranda plane inidoneus est. Neque facile, quod sciam, ullum reperitur exemplum, quo demonstrari possit, hoc ipso quendâ fuisse ex composito interfectum. At vero quod acriora illa purgantia & emetica antimonialia spectat, hæc quidem venena sunt, sed ad usum empiricorum, quibus impune licet occidere, magis reservata sunt. Quare non sine insigni ratione ab *Helmontio* & *Bontekœ* **Mordt-Mittel** vocantur, quod experientia docemur, multos, præsertim qui tenerioris constitutionis sunt, & ventriculum in inflammationem jam pronum habent, valentissimis hisce remediis à vulgo practicum interimi.

§. XVII.

Quum autem varia sint venenorum genera, & multum inter se ratione vehementiæ & indolis, nec non principii, quò instructa sunt, activi differant, non inconsultum, sed scopo nostro maxime consentaneum fore judicamus, qua ratione & quibus symptomatibus & quo agendi principio singula motus vitales extinguant, paulo penitius excutere.

§. XVIII.

Quemadmodum vero duo in rerum natura activa, quibus maxima operandi vis inest, dantur principia, salinum nempe & sulphureum: ita quoque venena ad dua genera, quorum unum ex salino, alterum ex sulphureo elemento operatur, reduci possunt. Deinceps sicuti duæ motuum vitalium in solidis partibus sunt species, constrictio & dilatatio, quarum beneficio omnis fluidorum progressus cum utilissimis secretionibus & excretionibus & omnium functionum oeconomia perficitur: ita animadvertimus, venena acriora caustica agere in solidas partes, quas ad constrictiorem vehementissimam, quam spasmus Græci dicunt, sollicitant. Quæ vero sulphure vaporoso inimico imbuta sunt, ea nimiam in vasis diastolen producant: atque adeo utroque modo vitales conservatorii motus destruuntur.

§. XIX.

Quæ tenuissimo sale caustico in universum genus nervosum, illud in consensum trahendo, agunt & violentioribus spasmis universam motuum vitalium oeconomiam perturbant atque evertunt, inter ea ex vegetabilium classe maxime cicutæ & napellî species eminent; inter purgantia vero acriora illa drastica, quæ à colocynthide, elaterio, esula, helleboro albo proficiscuntur, præcipuum locum obtinent; ex mineralibus antimoniata emetica, mercurius corrosivus redditus & arsenici factitii tres species virulenta vehementia omnibus anteferri debent. Horum vero operandi modus ita se habet. Quam primum intra corpus sumta fuerunt, subtilissima, qua pollent, acrimonia poris ventriculi,
qui

qui maxime nervosus est & ob id cum universo systemate nervorum consensum habet, altius sese insinuans, & hostili fibrarum nervearum irritatione atque erosione non modo in ventriculo & intestinis, sed & in remotis partibus, subtiliori sensu & motu exquisitiori præditis, spasmos concitant, unde gravissimorum symptomatum fit origo, quæ omnes motus & functiones corporis nostri secundum naturam plane destruunt. Nam singula hæc recensita venenorum genera in ventriculo ingentes anxietates cardialgicas, nauseam, vomitiones, in intestinis tormina atrocissima, diarrhæas vel etiam alvum contumacissime clausam efficiunt. In thorace & diaphragmatis musculis singultum, constrictiones thoracis vehementes, angustiam spirandi & summam præcordiorum anxietatem inducunt. Ad cordis vero musculos eorum pernicialis vis delata languorem omnium virium, syncopen cardiacam cum extremorum frigore & sudore frigido, vel debilem & celerem pulsum planeque intermittentem causatur. Si vero ad cerebrum ejusque nervos & membranas venenata illa vis pertingit, tunc convulsiones, epilepsiæ, inquietudines, & deliria se manifestant, quæ tandem lethiferam vitæ catastrophem inducunt. Hæc sunt solennia & ordinaria illa symptomata, quæ si non omnia, tamen pleraque venena jam dicta interius sumpta proferunt. Cadavera si dissecantur, hæc insolita conspectui sese objiciunt. Primo ordinario totum abdomen ab intestinorum toto volumine flatibus nimium distento valde tumidum apparet, & externa cutis, præsertim in dorso ac pedibus, amplissimis maculis ex livido nigris obsita est; in ventriculo ut plurimum gravis

refi-

residet inflammatio, vel maculæ purpureæ aut nigræ cum frequenti erosione, imo perforatione conspiciuntur: interdum etiam liquamen nigrum foetidum in eo reperitur, intestina hinc inde inflammata vel maculis purpureis aut nigris, erosionibus quoque manifestis in certis locis obsitæ videntur. In thorace sanguis in ventriculis, præsertim dextro, cordis coagulatus & feri in pericardio copia in conspectum veniunt, sique mors cito inducitur, reliqua viscera plerumque sunt sana ac salva, si vero symptomata longius ad aliquot dies infestant, quod interdum vidimus ab improvide adsumtis purgantibus & emeticis, viscera illa sanguinea, lien præsertim & pulmões, in sphacelosam corruptionem abeunt.

§. XXI.

Alia vero & differens quodammodo est operatio eorum venenorum, quæ narcotica dicuntur, cujus generis sunt stramonii, solani, hyoscyami species, quorum etiam spectat succus ille papaveris Asiatici opium, licet mitiori gradu operetur. Hæc majori in dosi adsumta nauseam & conatus ad vomendum faciunt, torporem & stuporem sensuum tam externorum, quam internorum atque soporem gravem inferunt, dementiam quoque cum oblivione provocant. Spectant huc quoque cocculæ Orientales, vulgo *Fischkörner* / *Tollkörner* / item fumus carbonum accensorum angusto conclavi inclusus. Neque minus coronæ imperialis vel etiam croci copiosior & concentratior, diutius corpori inhærens, vapor venenatus est. Homo atrocitate horum symptomatum si extinctus fuerit, in dissectione non modo ventriculus, sed meninges maxime

xime inflammatae apparent & vasa, quae ad cerebrum & caput tendunt, sanguine turgida & distenta conspiciuntur. Quemadmodum vero acria venena spasmonecant motus violentos inducendo, ita narcotica vapore sulphureo, graveolenti sanguini commixta non modo vasa arteriosa cerebri tam fortiter expandunt, ut systole eorum sive contractio, ad ulteriorem sanguinis progressum valde necessaria, pereat, sed & eorum vapor hostilis, alias in nervosas & membranosas partes penetrans, fluidum illud tenuissimum, quod ibi continetur, penitus contaminat, quia naturae fluidi, quod robur, tonum, motum & sensum partibus foenerat, plane est adversum.

§. XXII.

Perspectis itaque truculentis illis, quae venena inferunt, symptomatibus, sequitur jam, ut etiam tam subitae mortis ab iis illatae genuinas causas indagemus. Certe non sola illa inflammatoria stasis sanguinis in ventriculo & intestinis cum maculis vel etiam erosionibus tam subitae inferendae morti sufficere mihi videtur. Quandoquidem notum est, quod inflammatio, imò erosio atque exulceratio ventriculi & intestinorum satis diu saepius adfligere soleant; hinc aliam certe tam repentinae necis causam subesse rectissime concluditur. Nos vehementes spasticas nervosi ac membranosi generis in universo corpore constrictiones, quas acerrimae indolis venena concitant, pro vera causa subitanei interitus agnoscimus, quibus fluidi nervei & tenuioris sanguinis in organa motuum & sensuum influxus, quo cessante omne robur, tonus & motus partium perit, partim intercipitur, partim etiam ad alia loca majori

copia impellitur. Idem contingit à narcoticis venenis adsumtis, quibus non modo fluidi nervei in organa sensuum & motuum influxus, sed & sanguinis circuitus ob nimiam vasorum distensionem impeditur. Inflammationes igitur & exesiones, quæ in ventriculo & primis viis reperiuntur, tantummodo signum certissimum præbent de ejusmodi rebus adsumtis, quæ erodente & caustica facultate præditæ sunt, & quæ spasticam stricturam istis partibus induxerunt, quibus effectum est, ut sanguinis liber progressus interceptus ejusmodi stasibus inflammatoriis & sphacelationibus occasionem subministraverit.

§. XXIII.

Ad ejusmodi itaq; spasmos producendos, qui universum genus nervosum ac membranofum adficiunt, utique non sufficiunt talia acria & caustica, quæ crassioris texture & fixioris nature sunt, utpote quorum actio & irritatio non ultra primas vias sese extendit. Hinc nec spiritus minerales concentrati, spiritus nitri, aqua fortis, spiritus vitrioli, unquam tam subitos & lethales effectus relinquunt. Et simplicia satis acria, ut zingiber, piper, folia vel radices ari in ingenti copia sumta non aliam ventriculo, quam ardoris quandam molestiam exhibent. Quapropter necesse est, ut illa acrimonia caustica, qua venena agunt, sit summæ penetrantiæ & activitatis, qua in omnes nervosas partes se altius insinuare possit, in qua vera mihi natura & indoles veneni consistere videtur. Qua de causa etiam non adeo magna moles ad funestos effectus requiritur.

§. XXIV.

Plura vero sunt, quæ tenuissimam & plane stu-
pen-

pendam exiguitatem partium hostilium, quibus venena agunt, egregie ac manifesto declarant. Ab hac enim mira tenuitate illud proficiscitur, quod vera venena non solum interne, sed & exterius tantum corporis nostri partibus, præsertim prius fauciatis, adplicata si non lethalia, valde tamen truculenta symptomata inferant. De ictibus insectorum ira percitorum, ut scorpium, tarantulæ, viperæ & moribus canis, vulpis vel lupi rabidi res notissima est. Venena quoque vegetabilium exterius adplicata perniciousam suam in exteriora corporis nostri vim exerunt. Ita scribunt *Cæsalpinus in Tract. de Venenis pag. 141. Scholzius in Epist. med. pag. 139. & Crato Lib. II. pag. 227. ad Th. Jordanum de succo hellebori albi, quod hoc ipso Hispani venatores tela illinant & venenata reddant, unde herbam palæstricam vocant. Ab helleboro albo fonticulis indito Joh. Bapt. du Hamel de corp. affect. ventriculi subversionem notavit. Tanta quoque aconiti cœrulei sive napelli vis est, ut eo telorum mucrones imbuti lethalem vulneratis noxam adferant. vid. Dodonæus Lib. 3. de purg. herb. hist. c. 12. & stirp. hist. l. c. C. Gesner de lunar. herb. pag. 77. Thom. Jordanus in Luis novæ in Morav. exort. Descript. p. 76. Hier. Capivacc. Pract. Med. L. VII. c. 7. A napello in manibus detento anxietates præcordiorum, debilitatem & animi deliquia secuta esse referunt Misc. Nat. Curios. Dec. III. A. IX. & X. Obs. 92. Cicuta exterius si improvide usurpetur, testibus Borello Cent. II. Obs. 3. & Sim. Pauli Quadrip. Botan. class. III. pernicialia symptomata concitat. Ranunculus hortensis flore pleno miniato omnis quidem odoris expers est, spargit tamen de se virulenta effluvia, præsertim, si naribus admoveatur, unde angustias*

stias præcordiorum, capitis dolores & vomitus ortos fuisse legitur in *Miscell. Nat. Curios. Dec. III. A. IX. & X. obs. 92.*

§. XXV.

Et quod vitæ inimica non modo his dictis, sed & purgantibus acrioribus vis insit, vel ex eo colligendum, quia hæc exterius adplicata pediculis enecandis aptissima sunt, quod etiam de tabaco valet, cujus oleum ad guttas tantum aliquot instillatum vulneratæ parti felis, juxta experimenta *Borelli in Tr. de motu animalium*, eam in convulsiones lethales conjicit. Insignem vero purgantibus acrioribus inesse particularum causticarum tenuitatem, vel ex eo satis abundeque apparet, quod exterius partibus adplicata vesicas excitant & ventri imposita alvum aperiunt ac interius data corporis succos nutritios, ipsum etiam lac, dum infantes lactentes purgat, subtilissimis suis particulis imprægnant. Hinc quoque petenda erit ratio, quare purgantia animantium venis infusa purgent, & quare gummæ guttæ in pluviali aqua solutum & infusum venæ canis ad drachmas sex, experimento *Heidenii obs. 90.* statim motus convulsivos excitaverit.

§. XXVI.

Incredibilis vero illa partium sulphurearum, quæ narcotica operantur, subtilitas extra omnem dubitationem posita est, dum hæc ipsa capiti & temporibus adplicata non modo torporem & stuporem inferunt, sed & enormes vomitus cohibent. Atque hæc mirabilis partium, qua venena agunt, tenuitas non tantum in vegetabilibus, sed etiam in mineralibus animadvertitur. De noxa arsenici loco errhini in nares
attra-

attracti vid. *Miscell. Nat. Curios. Dec. III. A. X. pag. 391.* Et quod arsenicum exterius adplicatum in cancrofis ulceribus febrem, deliria, convulsiones excitaverit, aliquot observationibus *Hildanus Centur. VI. obs. 80. & 81.* confirmat. Cujus experientiae *Cl. Wepferus in Tr. de cicuta aquatica pag. 281.* adstipulatur, qui ab arsenico capiti inuncto cum butyro febrem, deliria, vigiliam, syncopem atque totius capitis intumescenciam & mortem ipsam annotavit.

§. XXVII.

Quam periculosa symptomata ab inunctione mercurialium proficiscantur, complures historiae & observationes id satis luculenter evincunt, cujus rei notata exempla profert *Hildanus Cent. III. obs. 92.* cum à mercurio vivo vel ejus pulvere ulceribus insperso corpora tenella protinus de dolore dentium & gingivarum inflatione conquesta fuerunt. Idem alio casu ab inunctione mercurii vivi mortem secutam commemorat. Et *Borellus Cent. II. obs. 92.* testatur, aquam mercurii sublimati in scabie exterius usurpatam paulo post lipothymiam excitasse.

§. XXVIII.

Ulterius, quod omnia valentiora ex purgantibus & ex venenorum classe desumpta ob summam partium teneritudinem vim suam exitialem exerant, inter alia hoc potest esse insigni documento, quod omnia illa drastica tam sale caustico acri, quam sulphure graveolenti prædita, ut napellus, cicuta, hyoscyamus, asarum, tabacum, opium, helleborus albus, esula, scammonium, diuturniori cum aqua coctione deposita virulenta sua vi, mitiora evadant. Neque id tantum de

valentissimis, sed & de iis, quæ laxativa vocantur, ut sunt aloë, rhabarbarum, folia fennæ, valere experientia edocti sumus, quorum virtus laxans longiori coctione valde imminuitur. At vero mirum est, eam coctionis vim esse, ut vehementiora ex mineralium familia petita mitiora quoque reddat, sicuti id non semel, sed iterum atque iterum observavimus in præparatione tartari emetici, si crocus metallorum cum tartaro crudo nimis diu coquatur, vim ejus emeticam valde castrari atque imminui. Præterea ex jam dictis liquidissime jam patebit ratio, quare venena insectorum & animantium, neque minus cicuta & aconitum in regionibus calidioribus Græciæ & Italiæ magis nocentis & virulentioris sint indolis, quam in regionibus frigidioribus, ubi nulla vel perpauca animalia venenata conspiciuntur.

§. XXIX.

Investigato sic agendi principio eorum corporum, quæ in parva dosi lethales in animantibus effectus proferunt, non amplius in difficili positum erit, venenorum, cujuscunque etiam generis fuerint, convenientia antidota & præstantissimæ virtutis adversus ea præsidia exquirere, quæ non modo experientia, sed etiam ratione certa cognoscenda sunt. Quemadmodum enim causa, qua agunt venena, jam manifesta est, quæ in summa partium hostilium tenuitate consistit: ita etiam rationi non amplius occulta esse queunt remedia, quæ venenis cum fructu opponi possunt; qualia sunt, quæ facultate pollent partium deleteriarum subtilitatem infringendi, figendi & contemperandi. Hæc vero duo sunt, nempe acida, & pingua mucilag-

lagi-

laginosa, quæ crasso suo ac ramoso contextu minimas acies & spicula caustica venenorum involvunt, obtundunt & virtute sua irritandi & erodendi privant. Et ut rem apertius exprimamus, duo maxime sunt simplicia eaque domestica, ubivis obvia & omnibus nota, quibus benignissimus naturæ parens tam mirabilem facultatem indidit, ut nocentissimam venenorum vim domare ac expugnare quam felicissime possint. Sunt hæc acetum & omne animantium lac, quæ duo eximia venenorum antidota ipsa quoque veneranda antiquitas jamdudum agnovit: nam adversus ictum insectorum, imprimis aspidis, acetum bibendum suaserunt, ut perhibet *Celsus Lib. V. Cap. XXVII.* ubi meminit ejusdam pueri, qui cum ab aspide ictus, partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis ficcis alium humorem non haberet, acetum, quod forte secum habebat, ebibit & liberatus est. Super vulnera quoque à scorpionibus vel phalangiis inflictâ furfures ex aceto vel ruta silvatica non sine utentium fructu imposuerunt. vid. idem *Celsus l. c.* Præter acetum vero vinum quoque pro magno alexipharmaco veteres habuerunt, hinc adversus cicutam vini calidi quamplurimum ingerendum esse statuerunt. Et *Plutarch. in Sympos. pag. 653.* hæc prodidit: *post cicutam si bibas vinum, veneni vires retundit.* Rabiosi etiam canis morsus olim meraco vino curabatur, quia omnibus venenis, ut scribit *Celsus l. c.* contrarium est. Et *Philippus Guibertus de tuenda valetudine Cap. III.* vinum venenorum omnium longe certius antidotum fictitio lapide bezoardico adpellat. Neq; ignotum est, quod ad pestis præservationem hoc ipso nihil præsentius

tius

tius unquam repertum fuerit. Nullum quoque est dubium, quin vinum propter subtile acidum admixtum præstantissimam hanc virtutem possideat, hinc etiam ipsum acetum vini omnibus malignis morbis ipsique pesti insigniter resistit, ut constans eorum, qui accurate & solide de pestilentia scripserunt, est sententia. Atque ob hoc acidum coagulans succus citri, spiritus vitrioli & famigeratissima mixtura simplex in peste & omnibus malignis contagio infestis morbis reliquis facile palmam præripiunt. Neque ullum datur simplex, quod purgantium acrimoniæ causticæ refrænandæ magis idoneum sit, quam acidum, unde helleborus albus in aceto maceratus mitescit. Fumo sulphuris scammonium, quod tithymali succus est, longe mitius evadit. Sagittas succo hellebori albi infectas, si cydoniorum succo tangantur, omnem lædendi facultatem amittere auctor est *Scholzius loc. cit.* Præterea acida resistunt quoque iis, quæ narcosi vim & vitæ & menti inferunt. Ita ejusmodi in casibus aceto forti rutaceo interne & externe usurpato nihil est præstantius. Et *Miscell. Curios. Dec. III. A. IX. & X. Obs. 92.* acetum forte in ore detentum adversus solani vim deleteriam commendant. Nos tamen ad avertendum summum illud periculum, quod ab ejusmodi narcoticis certo imminet, omnibus aliis emetica, utpote quæ simul & semel infensum illud venenum ejiciunt, præferri debere existimamus.

§. XXX.

Ad acrimoniam vero causticam venenatam, qua arsenicalia, antimonialia, mercurialia, purgantia acriora & reliqua omnia ex regno minerali pernicioosa agunt,

gunt, infringendam lac majori in quantitate epotum præsertim butyrosū commendamus, quippe quo ejusmodi in casibus nihil aut præsentius aut efficacius natura suppeditat. Perquam notatu dignus aliquot abhinc annis hic obtigit casus, ubi tredecim ex nobilibus studiosi in juscūlo avenaceo arsenicum crystallinum cum saccharo mixtū in prandio inscii adsumserunt omnesque & singuli truculenta symptomata, ventris tormenta & vomitus experti fuerunt. D. Præses advocatus solo lactis cum oleo olivarum usu benedicente Deo eos restituit & morte liberavit. Tamdiu autem lactis usus continuatus est, usque dum non amplius vomitu fuit rejectum. Ita etiam solo lactis usu largiori hypercatharses & gravissima symptomata partim ex errore, partim ex imprudentia medicastro- rum a purgantibus validioribus & vomitoriis datis inducta, felicissime & curavimus & avertimus. Neque hic immerito improbamus eam methodum, qua nonnulli theriacalibus & opiatis medicinis nimios vomitus vel purgationes sistere vel compescere solent, ubi quidem dolores & spasmi sistuntur, vis tamen illa pernicialis caustica in corpore remanet, quæ nunquam non est detrimentosa. Lactis vero usus adversus venena summe proficuus etiam veteribus, maxime *Dioscoridi*, ut patet ex ejus *Lib. VI. de venenis*, jam tum cognitus perspectusque fuit.

§. XXXI.

Neque vero hoc loco intermittere possumus, quin mentionem faciamus erroris nostris adhuc temporibus solennis, dum arsenici crystallini præstantissimum antidotum crystallum fossile censetur in tenuis-

E simum

finum pulverem contritum & drachmæ pondere adsumtum. Hujus remedii primam mentionem facit *Matthiolus Comment. in Dioscorid. Cap. 29. Lib. VI.* Id quod deinde Crato in scriptis suis sæpius repetit atque commendat. Eamque ob causam, nempe propter delinendam acrimoniam, idem auctor in morbo cholerico hoc ceu specificum laudat, cum tamen neque ad acidos & acres humores imbibendos, multo minus ad arsenici virulentiam mitigandam quicquam laude dignum perficiat.

§. XXXII.

Perspectis sic paulo interius venenorum indole, proprietatibus & viribus, modoque & principio agendi, sequitur jam, ut quænam certa & infallibilia propinati vel sumti veneni cujusdam indicia haberi possint, aliquanto majori cum cura exponamus. Accuratori enim indagine utique hæc digna nobis videtur tractatio, quia in foro sæpissime contingit, ut medici vel collegia medica de veneno dato vel sumto judicia ferre debeant, quibus deinde Jurisperiti, plerumque in hisce rebus plane rudes, suam sententiam firmiter atque unice superstruunt. Commendari hic meretur *Ammiani Marcellini dictum: de vita & spiritu hominis laturum sententiam diu multumque cunctari oportet nec precipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari.* Optandum foret, ut hoc saluberrimum Marcellini monitum & medici in proferendis sententiis circa vitam hominis rectius pensitarent; tunc enim non tot tantæque hallucinationes in artis opprobrium occurrerent. Brevissimis itaque de iis, quæ necessaria sint, veneni hausti indiciis, & quæ minus sufficiant, nostram sententi-

am pronuntiabimus. Primo enim, utut omnis fere generis venena intus sumpta perniciosam suam vim plerumque, testante id experientia, in ventriculum ac intestina exferant, eas partes inflammando, sphacellando, erodendo; quamvis etiam fere in omnibus, qui venenis interempti fuerunt, abdominis partes valde intumescant & externæ partes livido & nigro colore obductæ conspiciantur: tamen nec ex hisce singulis neque etiam conjunctis certa veneni indicia haberi possunt. Siquidem ab humoribus corrosivis & corruptis intus genitis eadem in ventriculo ac intestinis phænomena, quæ ab adsumto veneno proveniunt, observantur. Perite hanc in rem *Sennertus Lib. II. Institut. Med. Part. II. Cap. XII. æque cito interimuntur homines ab humoribus, qui generantur in corpore nostro atque illi, qui necantur a veneno lethali. Sicut enim venena adsumpta gravia symptomata afferunt, dolores, lipothymias, dementias & infinita alia: Sic quoque humores pravi in corpore nostro geniti [i. e. insigniter putridi, peculiariter corrupti vel alia quavis maligna & occulta qualitate præditi] & similia, imo majora his inducunt. Et quod a bile subita mors cum maximis præcordiorum anxietatibus & sanguinis vomitu accersiri possit, historiam proponit *Wepferus in Lib. de cicut. aquat. pag. 186.* ubi aperto abdomine ventriculi dorsum & pylorus admodum fuit infectus bile ex vesica eo transfudante, a qua etiam pylori fibræ corrosæ & ventriculus flatu distentus mirum tumebat & intestina tenuia duodenum & ileon quatuor in locis rubicunda & inflammata reperta fuerunt. Graves inflammationes & sphacellationes ventriculi & intestinorū non modo in iis, qui cholericæ, iliacæ passionis & ardentibus febribus de-*

funguntur, conspici, sed & has partes inflammatas in iis, qui variolis, morbillis, purpura moriuntur, reperiri, nos sæpissime, facta dissectione cadaverum, observavimus. Sique cum attentione historias anatomico-practicas perlegamus, liquidissime apparebit, in compluribus, qui ex morbo acuto vel etiam phthisi, asthma-
te convulsivo & hectica moriuntur, inflammatas, imo erosas has partes deprehendemus. Et licet etiam maculæ exterioris cutis & intumescencia corporis cum ejusmodi inflammationibus internarum partium concurrant, neutiquam tamen exinde quoque adsumti veneni certum indicium promendum est. Recte enim *Ammannus* in *Irenico* scribit: *quod concernit maculas post mortem lividas & purpureas in toto corpore, eæ quoque frequentius in subjectis cachecticis, scorbuticis, imo & plethoricis, præsertim si morte subitanea corripuntur, conspectui se sistunt, quatenus scilicet copiosa materia peccans vi caloris, etiam post mortem superstitis, a centro ad circumferentiam corporis movetur.* Et in *praxi vulnerum lethalium* *Idem Ammannus* *Dec. IV. Hist. IV.* *intumescencia ventris, inquit, non est signum infallibile adsumti vel propinati veneni.* Et *pag. 259.* *signa externa nil testantur præcise de propinato vel adsumto veneno.* At vero si notabilis hæc occurrit circumstantia, quod suspecta quædam, minus fere cognita v. gr. in pulverem redacta materia in iis locis ventriculi & intestinorum hæreat, quæ inflammata vel erosa sunt, in ceteris vero non, tunc majoris utique momenti incidit quæstio: annon magna suspicio veneni dati moveri queat? Verum enim vero & hic aperte negamus, nisi jam certissime de hujus materiæ venenata indole constet, ex hac circumstantia certam dati veneni suspicio-
nem

nem haberi posse : nam pulvis loco medicamenti innoxius datus in ejusmodi partibus, quæ ob corruptionem omni robore, tono & motu propulsorio destitutæ sunt, facile & firmiter ibi inhærescere posset. Potius itaque suspiciones veneni dati hæ sunt, si quis antea sanus & bene valens a quadam re adsumpta brevi tempore de anxietate præcordiorum, ardore, intolerabili dolore & cruciatu abdominis, intenso vomitu & conatu ad vomendum conqueritur, omniaque adsumenda respuit, si postea convulsiones superveniunt & homo subito moritur. Si deinde corpore dissecto inflammatio, spacelatio & corruptio in ventriculo deprehenditur, neque alia causa v. g. vermis visitur, non sine ratione increfcit & firmatur hæc suspicio. Nam proprietates & characteres omnium venenorum acrim & causticorum hi sunt, ut celerrime gravissima symptomata & maxime omnium vomitus, summas anxietates cum sudore frigido, pulsu intercepto & intolerabiles dolores inferant. Hæc si non adfuerint, plane non cogitandum est de ullius veneni præsentia aut periculo ab eo accepto. Certissimum vero præter hæc jam dicta indicium est, si corpus adfuerit delicti, vel si illud jam in ventriculo & intestinis reperiatur, vel certum sit, quod ejusmodi materia virulenta propinata sit. Non parum vero etiam hic refert, varia illa ingesta & quæ in ventriculo & intestinorum sinu post dissectionem reperiuntur, recte examinare. Et quicumque in physica & chymia experimentalis non est versatus, ab eo etiam certum & indubitatum judicium non erit expectandum.

§. XXXIII.

Quamvis vero plurima veneficia perpetrentur nostris temporibus cum arsenico, tamen quum ejus proprietates superius satis detectæ sint, nolumus jam in iis repetendis esse longiores. Evenit vero interdum, ut casu stupefactivo & amentiam inferente veneno quidam necentur, tunc nobis non alia suppetunt indicia, quam si subita in homine sano dementia cum stupiditate & omnium rerum oblivione aut ingens somnolentia cum anxietate, vomitu, singultu convulsionibus & paralyfi superveniat. Ex purgantibus vero vel emeticis acrioribus imprudenter ægrotantibus exhibitis mortem insecutam fuisse, ex eo apparet, si ante adsumtionem æger satis adhuc bene se habuerit, deinde statim de horrendis anxietatibus, ardore interno, conatu ad vomendum conqueratur, postea vero mentis alienatio & convulsiones accedant & dissectis denique corporibus ventriculi & intestinorum partes inflammatae, erosae vel etiam sphacelatae aut maculis purpureis obsessae deprehendantur.

§. XXXIV.

Tandem circa venenorum operationem illud adhuc tenendum esse arbitror, quod pro diversitate corporum non secus ac alia activiorum medicamentorum genera diversos effectus producant, dum vel major vel minor veneni dosis, si corpora vel robusta vel imbecillia, valetudinaria & jam morbida sint, ad necem inferendam requiratur, in quibusdam etiam citius, in aliis tardius vim suam exitialem exercent & sympto-
mata

mata etiam in quibusdam quodammodo differentia
producant.

§. XXXV.

Denique etiam nostra exponenda erit sententia
de venenis lentis, quæ nempe lento gradu operantur
& tempus requirunt summam corpori perniciem infe-
rendi, num ejusmodi dentur & quomodo dijudicari
debeant. Galli propter abominandum eorum usum
ejusmodi venena la poudre de la succession adpella-
runt. De horum existentia diu multumque inter re-
rum physicarum & medicarum peritos dubitatum fuit,
cum nullæ res hac virtute conspicuæ cognitæ sint.
Verum enim vero quisquis paulo sollicitius causas vi-
tæ nostræ & sanitatis considerat, quod nempe illæ in
libero fluidorum per angustissima & capillaria vasa
progressu potissimum sitæ sint, is perquam facile per-
spiciet, multas dari in rerum natura exitiosas & vitæ
ac sanitati insidiosas res, quarum frequentiori usu non
potest non ea in extremum periculum adduci. Et talia
sunt nostro quidem iudicio illa pessimæ indolis & vir-
tutis adstringentia, præsertim ex minerali regno, quo-
rum virtus semper constans est, eo quod eorum tex-
tura difficulter ab alio immutari potest. Et ut brevi-
bus nos expediamus, ejusmodi lenta venena ex plum-
bo præparari posse persuasissimi sumus. Quam no-
civa vis, quæ a constrictione partium nervosarum ma-
xime petenda est, saturninis insit, symptomata illa, quæ
plumbum intus adsumtum insequi solent, id satis su-
perque declarant, maximeque omnium suo exem-
plo docent metallurgi, qui mineras saturninas tractant,
urunt,

urunt, fundunt, ponderant, dum a fumo ad intestina descendente non statim, sed successive in alvi adstrictiones pertinaces, asthma sicca & convulsiva, artuum paralyfes, contracturas, colicam spasmodicam incidunt. Quidam ut umbræ hominum apparent, elumbes, pendulis artubus & resolutis enervati, qualia symptomata etiam illi experti fuerunt, qui vina Niccarina ante aliquot annos lithargyrio injecto adulterata biberunt, quemadmodum *Miscell. Curios. Dec. III. A. IV. obs 30.* id confirmant. — Qua de causa non sine ratione *Celsus Lib. V. Cap. 27. p. 1314.* item *Cæsalpinus Lib. III. Cap. 24.* cerussam & lithargyrium venenis accensent & jam prolata symptomata ab iis inducta notarunt. Hinc *Scribonius Largus de Compositione medicamentorum*, oleum, lac cum melle, cremorem ptisanæ suadet iis, qui cerussam potarunt. Nullum hinc dubium est, quin saturninis pulveribus, qui acido primarum viarum solvuntur, homines in tantam perniciem conjici possint, qua tandem ipsis pereundum est. Et quo horum corporum operatio magis successive & lente fit & hæc ipsa omni sapore carent, hoc difficilius cognoscuntur ac dijudicantur & eo pestilentiori dolo ac fraude administrantur. Nihilominus tamen si homo perfecte sanus ac vegetus, nulloque morbo antea corruptus vel alia adstringente medicina imprudenter tractatus citra omnem causam manifestam in ejusmodi incidit symptomata, quæ saturninis quasi propria sunt, non immerito de iisdem adsumtis suspicio crescere poterit, præsertim aliis circumstantiis concurrentibus. Sed quia pagina nos destituit, coronidem auspiciatam imponimus huic dissertationi.